



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Motiones, quæ immediatè in intellectu & voluntate fiunt à Deo, & unde
dignoscantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

tas, & quia desolatio, ariditas etiam ex scrupulis variisque animi motibus oriri possunt: hinc ea omnia ex regulis S. P. N. in Libello aureo Exercit. de discretione spirituum & scrupulis, & P. Suarez Tom. 4. Tract. 10. l. 9. c. 5. à num. 31. [qui, sicut in cæteris excellit, ita & in institutum nostrum optimè scripsit] paulò altiùs eruenda sunt; tum ut te ipsum, tum ut alios eò securiùs regere possis.

Motiones, quæ immediatè in intellectu & voluntate fiunt à DEO, & unde dignoscantur.

ITaque primò certum est dari quosdam internos motus tam intellectûs, quàm voluntatis ex speciali Dei gratiæ prævenientis motione, & hi vocantur illuminationes, illustrationes, inspirationes & motiones divinæ. V. Trident. sess. 6. per totum. Nec obstat, quòd vocabulis his abusi sint Hæretici, qui *illuminati* dicti sunt. Hæ autem motiones vel fiunt immediatè à Deo, vel per Angelos bonos, quos imitari conantur dæmones transfigurantes se in angelos lucis. Porrò Angelus sive bonus, sive malus possunt tantùm excitare voluntatem mediante intellectu, & appetitu sensitivo, & utrumque horum mediis phantasmatis, seu objectis sensibilibus vel imaginariis. Solus autem Deus, teste D. Thomâ, immediatè potest interiùs *influerè rationali menti, & illabi animæ* movendo intellectum & voluntatem. Porrò signum intel-

tellectum sic immediatè moveri à Deo est, si
oriatur apprehensio vel cognitio aliqua, qua
hic & nunc per imaginationem non potuit exci-
tari; cùm sit de objecto nobiliori, quàm in
sensum unquam ecciderit, vel fiat tam subitò,
cum tanta intelligentia veritatis, ut ex vi phan-
tasmatum comparari non potuerit. Ut si gen-
tili, v. g. qui nunquam de Deo cogitavit, sub-
itò, & sinè discursu se offerat cogitatio, esse
aliquod ens supremum, & hanc cogitationem
altè menti infixam sentiat. Simile est de fide-
simplici, vel etiam illiterato, cui subitò offer-
tur cognitio de Deo Trino & Uno cum tam di-
stineta repræsentatione veritatis, ut planè supe-
ret capacitatem ejus. Ejusmodi illustrationi-
bus à Deo immediatè submissis in specu Manre-
sana recreatus fuit S. P. N. Ignatius, ut postea
dicere solitus sit, si sacræ litteræ non extarent,
se tamen pro fide mori paratum esse ex iis solùm,
quæ sibi Manresæ patefecerat Dominus, quo
tempore homo litterarum planè rudis admira-
bilem illum composuit exercitiorum librum Se-
dis Apostolicæ judicio, & omnium utilitate
comprobatum. Similis immediata interna
motio etiam se prodit in judiciis practicis de di-
ligendo Deo, pœnitentia agenda, perfectione
sectanda, &c. nam aliquando tam subitò, &
tam vehementer ea proponuntur menti, ut ferè
apertè constet, ea immediatè provenire à Deo,
nec habere originem ab objectis sensibilibus, &
phantasmatibus, sed potiùs, si aliqua phanta-
sia apprehensio tam concitatur, eam à mentis

cogitatione excitatam esse. An jam ex parte voluntatis fiat motus immediatè à Deo, desumendum est ex modo, v. g. quando, licèt motio ista operetur circa objectum cognitum, vehementiùs tamen voluntatem rapit, quàm objectum ipsum possit, aut aliàs movere soleat, & si objectum proponatur ut prosequendum, voluntas sentiat impetu, ac velut necessitate quãdam se ad illud affici saltem per simplicem affectum, vel majori se suavitate ad id inclinari, quam sibi possit suã industriã comparare. Si autem objectum proponatur ut fugiendum, vehementiùs præter solitum terreatur, ut sæpè sentit inveteratus peccator aliquis, quem Deus ad saniora vult reducere, & quando similes affectus versantur circa superiora & spiritualia bona, & per se honesta, & hoc modo fiunt. Signum utique est ab ipso Spiritu S. voluntatem immediatè moveri, quia nulla creatura habet tantam efficaciam in humanam voluntatem, & tali modo Suarez l. c. n. 39. dicit intelligendam esse reg. 2. de discret. Spirit. S. P. Nostri, quòd talis motio detur nullã præcedente causã.

